

*Cremantur Purpurarum tomenta, Dioscor. imperante,
ut Cornu ceruinum.*

Margarita-
rum prepa-
ratio.

*Margaritæ terantur subtilissimè, & tenui cribrentur pan-
no, postea in cote liquore affuso leuigentur, ut Haly lib. 10.
cap. 22. & Auic. iubent.*

Excremēta
quo pacto
seruentur.

Excrementa nonnulla animalium apud Pharma-
copœos seruari debent, inter hæc quædam Fella, &
Coagula. Fel omne sic seruatur, ut Diosc. placet li-
bro 2. cap. 89. Recens præligato ore folliculi lino demissum
in feruentem aquam, spatio, quo quis stadia tria percurset;
mox exsiccatur umbroso loco asperginem non redolente.
Sed quod ad oculorum medicamenta adijci solet, ligatum vi-
no in vas vitreum, quod mel habeat, immittitur, circum-
uoluto ad os vasis lini principio, & operto vase reconditur.

Fel confer-
uandi mo-
dus.

Coagula.

Coagula omnia à putredine vendicandi viam
Albuc. instituit his verbis: *Accipe coagula animalium,
dum sunt recenter mortua, postquam iugulaueris, & inuolue
ea sale, & suspende ad Solem, & serua.*

De Decoctione, et Ebullitione.

Cap. XVIII.

Decoction,
& Attritus
omnia inal-
terat.



UAM ferè in limine libri proposuimus
ad Pharmaca componenda hæc duo
maximè esse necessaria, Decoctionem,
& Attritum; his enim aut simplicium
vires, aut eorum corpora, & facultates inter se ex-
actè, & ad minima confunduntur, ac permiscuntur,
quod cognouit Mes. in Canon. dicens: *Coctio facul-
tates medicamentorum diuersas omnium optimè permiscet,*

ut

ut ex his omnibus una resultet; calor enim aut ab igne in liquoribus excitatus, aut à vectibus, seu pistillis, qui in tenuissimas partes illa comminuunt, perfectam miftionem, quæ ab arte fieri conceditur, proritat, atque gignit.

Multæ ab omnibus cēsentur esse elixationis causæ, (non est enim elixatio aliud, quàm in humido alicuius decoctio, teste Mes. in Can.) ob quas decoctiones, & ebullitiones à Medicis imperantur: nā aliquando quædam decoquuntur, ut tenella euadant; quorum nonnulla per cribrum traijciuntur, ut à partibus crassioribus, vel impuris expurgentur: Alia, ut eorū facultates impertiant liquoribus, quibus ebulliunt: Aliqua, ut quædam simul vnita crassitiem, quam consistentiā dicunt, acquirant: Nonnulla, ut peroptimè simul misceantur, & corrigantur, ut Mesue: At alia ob alios scopos, quos breuitati studens omitto.

Dicam igitur quinque esse consideratione digna circa *Decoctionem*, ac *Ebullitionem* minimè prætermittenda, ut perfectæ euadant. Hæc exstant, Natura illius, quod decoquendum venit; Aqua, in qua decoquitur, siue alius liquor; Calor decoquens; Terminus decoctionis, aut ebullitionis; & Vasa, quibus hæc celebratur actio.

Ob naturam rerum decoquibilibus variam, atque diuersam, longiorem, aut breuiorem esse decoctionem nemini est obscurum: quod etiam nobis reliquit scriptum Mes. in Cano. dicens: *Coctionem non sustinent omnia æqualem, sed quædam debilem, & alia valen-*

Elixationis
fines.

Circa deco-
ctionē quin-
que cōside-
randa.

Quæ longā
ferāt coctū-
ram, & quæ
breuem.

subnu-

valentem. Quorum enim virtus facillè resolvitur, quia vel imbecilla est, vel in superficie est posita, vel in subiecto raro, omnia huiusmodi parùm diu, nec valenter coquenda sunt; eorum enim virtus immodica coctione destruitur, vel resolvitur: Talia sunt Semina quattuor frigida maiora, Adiantum album, Epithymum, Viola, & Flores propè reliqui. Contrario modo affecta medicamenta diu coquenda sunt, ut omnia crassæ essentiae, & acria, nisi virtutem habeant imbecillam, & superficiariam. Purgantia omnia humiditate multa, aut lubricando, vel nihil, vel minimum. Et dum varia, atque multa debent unà ebullire, imbecilliora minùs, vegeta verò magis coquenda. Galen. quoque decrevit 3. de Alim. facult. corpora mollia facilius coqui, quàm dura: illa enim promptius, atque citius à calore inalterantur. Nec aromata longam ferunt cocturam, si credendum Gal. 6. de Comp. per loc. c. 1. sic docenti: Amplior coctura destruit facultatem aromatum; Crocus enim & Myrrha, multaq; alia aromata in decoquendo amittunt vires. Sic ut plurimum odorata omnia; si enim credendum est Actio, tenui substantia sunt insignita; quoniam à terrestri substantia, docente Gal. 4. Simplic. c. 22. paucum est, quod defluit: unde cap. 23. hæc leguntur: At quæ odorata sunt, tenuia utique sunt, quadamtenus & calida. Concludamus igitur, ut finem imponam, omnia dura, densa, & fibrosa difficillè decoqui; à calore enim egre permutantur: At tenuia, rara, & levia facillimè ab ipso alterantur, & foras eorum educuntur vires.

In Decocto
qs ordo ser
uandus.

Sit igitur, ut Mes. sequamur mandata, & rationibus iam dictis acquiescamus, in parandis Decoctis,

Etis, quæ multa simplicia recipiunt inter se diuersa, talis ordo seruandus. Prius radices in aquam dulcem, & calidam iniiciantur peroptimè purgatæ, & in frustula dissectæ: quo tempore, vel paulò ante frumentacea, vt hordeum, imponantur, panno prius deterfa: deinde fructus à nucleis mundati, aut cultro plagati: postea semina: deinde folia: & tandem flores. Sed circa hæc quædam à Seplasiarjjs seruanda veniunt, quæ quoquo modo videntur primo intuitu ordinem iam propositum interturbare, atque peruertere, quod tamen est falsum, si memoria custodiantur illa, quæ superioribus verbis narrauimus. Et primò radices tenues, exiles, & odoratæ, vt Asari, quod aliqui, teste Dioscor. Nardū siluestre appellât, cum folijs ad decoquendum iniiciantur. Sic & aromata omnia, siue radices, siue cortices, siue ligna, siue fructus, leuem coctionē ferunt, vt vult Mes. Inter fructus Myrobalani, à quibus nuclei pistilli ictu sint educti tempore herbarū, & foliorum; *eorum enim coctio destruit facultatē purgantem*, narrante Mes. vnde decoctum redditur adstringens. Attamen cum floribus minimè imponendi; cum enim sint exsiccata, & duræ, aliquo indigent tempore, vt humiditas vnà cum calore ipsas permeet. Semina quattuor frigida maiora vnà cum floribus, & inter herbas Adiantum, & Epithymum. Semina verò lentorem, atque viscedinem in se continentia, potiùs vnà cum radicibus; cum eorum virtus difficilè dissolui possit. Sed quoniam interdum viscidum efficiunt decoctū, quod

Primū præceptum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Viscida, & lenta quādo coquenda.

G ab

Error aliorum.

Glycyrrhiza quando ebullienda.

Sextum.
Purgantia quando imponenda.

Septimum.
Lenientia, quā in decocta ponenda.

ab infirmis respuitur, atque damnatur; tempore, quo semina decoquantur, vel aliquo panno inuoluantur, qui interdum baculis duobus utrinque positus comprimatur, ut minor viscedinis copia in decoctum diffundatur, Mes. mandatum, cum exoptamus mitiorem deferri facultatem medicamentorum. At si ægri hoc non verent, ebulliant cum radicibus, ut viscosum euadat decoctum: talis enim est scopus illius Scriptoris, qui tale Pharmacum composuit. Hoc idem seruandum existit circa Glycyrrhizæ radicem, quæ cum sit densa, ac lenta substantia donata, & succo lento prædita, simul cum alijs radicibus ebullienda erit. Sed quoniam insuaue efficitur decoctum, ac turbatum, & obscurum, si diu coquatur; idcirco cum seminibus ebullienda erit. Præterea omnia ferè purgantia, siue radices, siue cortices, siue succi, aut lacrimæ, aut fructus, aut semina, ut Agaricus, Turpethum, Colocynthis, Hermodactyli, & similia, cum seminibus bulliant. Vel hæc, ut varijs in decoctis imperat Mes. inter quæ, & Rhabarbarum, & cortices radicem Hellebori, cum ab igne decoctum remouetur, per spatium quattuor, aut quinque horarum macerentur. Scammonium autem, & Aloe decocto addantur, cum tepescit. At rarò decocta sola hoc recipiunt. Lenientia, ut Manna, Cassiæ, ac Tamarindorum pulpa, post omnium decoctionem illa iam tepesfacta, vel duabus tantum ebullitionibus feruefiant, ut Mes. suadet. Et hæc omnia à placitis illustrium Virorum, qui vetusto seculo medicinam faciebant,

ciebant, desumpta sunt. Erit itaque ab illis, quæ difficilius, seruatis tamen antedictis, à calore aquæ inalterantur, inchoandum, proportionem quadam seruata; si enim decoctum nec grana, nec radices, nec ligna recipiat, à fructibus; si nec hos, à seminibus; si nec hæc, à folijs; vel tandem solum flores ebulliendi erunt. Sed nec eadem quantitate aquæ, nec ad eundem terminum: duriora enim, & crassiora ceteris alijs, vt radices, maiorem copiam aquæ expostulant, vt eorum vires in ipsam diffundantur, & ideo non erit alienum à ratione, ebullire illas ad consumptionem duarum partium. Fructus, & Semina, si odorata non existunt, paulò minùs; Folia ad dimidium circiter; Flores, si solitarij, ad quartæ partis exhalationem; & Aromata ad tertiæ partis. Hæc autem proportionem desumpta à duriori agantur. At si forte fortuna sententia alicuius grauis Scriptoris his aduersetur, procul omni dubio eius mandata exequenda erunt; quoniam pro firmo, atque rato est habendum, aliquo fine Sepalsarijs ignoto hoc instituisse.

At non ab omnibus insignibus Medicis illa iam dicta seruantur, nec interdum ab ipso Mes. huius methodi Magistro: multi enim eorum omnia eodem tempore in aquam iniicere imperant, ac macerare, quæ postea simul ebullire faciunt: sicut Serap. lib. de Antid. qui interdum infundit omnia per diem, & noctem, quæ prius, vt varijs in locis ab ipso scribitur, frangenda, incidenda, dilaceranda, & contundenda veniunt. Hunc ordinem etiam nos

G 2 docuit

Aquæ quantitas in decoctis à quibus sumatur.

Terminus ebullitionis qui.

Ordo iam dictus à scriptoribus non semper seruatur, imo interturbatur, ac peruertitur.

docuit Haly lib. 10. Pract. vbi de Syr. vt in Syr. Cāda
 ui, & alijs in locis, & maximè vbi de decoctis, in qui-
 bus varia genera simplicium continentur, quorum
 quædam longam possunt ferre coctionem, quædā
 mediocrem, & quædam leuissimam. Sic & Auic.
 vbi de decoctione Radicum. Non recedit ab hac
 methodo interdū Mes. vt in Syr. de Glycyrrhiza vi-
 dere licet, qui omnia simul ebullit prius per diem,
 & noctem macerata, etiā si Adiantum ingredia-
 tur: Sic in illo de Absinthio, de Mentha, & in Deco-
 cto, quod paratur pro conficienda Tryphera Per-
 fica: Sic in Decocto de Epithymo, cuius verba:
*Omnia præter Epithymum coquantur in aquæ casei lib. tribus
 ad duarum librarum consumptionem; deinde addatur Epi-
 thymum.* Vnde intelligere licet in ceteris alijs sim-
 plicibus aliquem non seruasse ordinem: Attamen
 sunt varia diuersam coctionem exostulancia, &
 maximè Myrobalami, qui si diu coquantur, ipso te-
 ste cap. proprio, tantum abest, vt soluant, vt po-
 tius aluum adstringant. Nonne & decoquit Cassia
 pulpam, Tamarindos, & Mannam cum aceto,
 saccharo, & alijs ad mellis crassitiē? cap. de Tryph.
 quod etiam imperat faciendum esse in confect. Ha-
 mech. Sic & Cassiam in Syr. de Fumoterræ. At for-
 tē dicet aliquis hæc decoquere paucis ebullitioni-
 bus, quod quidem ridiculū, nonne in Syrupō ace-
 rato Diarrhodō infundit radices, & rosas in vj. lib.
 aquæ, & coquit ad consumptionem duarum par-
 tium? in Syr. de Absinthio ad dimidiū? in Oxymeli
 purganti, in quo macerat & purgantia ad dimidiū?

in

in Tryphera Persica ad consump. quinquelibrarū?
 Et si de aromatis, quæ debilem, ac paucam deco-
 ctionem sustinent, verba faciemus, nonne affirma-
 bimus neglexisse omnino ordinem decoquendi, &
 naturam decoquibilium? cū cap. de Pilulis Ale-
 phanginis, quas de Aromatis dicunt, multa aroma-
 ta, & præterea & Rosas, & Schoenantum, & Spicā
 terat contritione crassa omnia, & fundat super ea
 aquæ lib. xij. & coquat ad consumptionem duarū
 partium. Multi negant aquæ esse libras duodecim,
 sed sex tantum, quod tamen aduersatur illis, quæ
 in textu scribuntur. At supponamus esse solum sex,
 nonne & per curriculum longum temporis ebulli-
 rent, si ad consumptionem quattuor librarum de-
 coquenda veniunt? At posset dicere aliquis, & for-
 tē impulsus ratione, seruandam esse methodum il-
 lam iam in medium allatam, cū varia simplicia
 decoquuntur nulla præcedenti infusione, aut ma-
 ceratione; in his enim diuersæ illorum qualitates in
 vnum coeunt *seruari possunt, cū illæ, quæ ma-*
gis sunt terrestres, & viscedine aliqua insignitæ,
prohibeant, ac vetent aliorum dissipationem, at-
que exhalationem. Et ideo non esset præter ratio-
 nem decernere, Mesuem posuisse Mastichem in
 Decocto, quo fiunt Pilulæ Alephanginæ, vt eius len-
 tor retineret facultates aromatū, ne dissiparentur.
 Sed suspicio non levis me tenet, ita vt audeam pro-
 nunciare, vel saltem suspicari, macerationem illam
 non esse in causa, vt flores illi iam infusi longam su-
 stineant ebullitionem; cum tenui extent præditi
 substan-

Error ali-
 quorum.

Infusa, &
 macerata lō-
 gam nō fer-
 re coctionē.

substantia : nec esse in causa, ne aromata priuentur ex aliqua parte propria facultate in diuturna illa ebullitione : & præterea ne Myrobalani diffundant stipticam, ac adstringentem suam virtutem ob longam decoctionem. Immo promptius, atque facilius euanescent iam infusorum virtutes, cum à maceratione illæ transmissæ sint in liquores, vel saltem paucis ebullitionibus transmissuræ. Sed his in omnibus acquiescere omnino debemus sententiæ præscorum Medicorū, & eorum mandata, tamquam leges, exequi, & non, vt quidam Sepiasarij sibi persuadent, tantorum virorum placita castigare, atque corrigere. Attamen à nobis magis probatur primus modus decoquendi secundum naturam variæ simplicium; dūmodo non aduersetur alicuius medicamenti inuentori.

Aqua qualis.

Aqua, in qua decoquuntur, aut ebulliunt, aut feruescunt, aut macerantur simplicia, eligatur, teste Gal. I. de san. tuen. c. 11. optima gustui, cuiuscumque qualitatis expers, sed potui iucundissima, & planè pura, quæ si præcordia celeriter transeat, nihil est, quod magis idoneam requiras : Sit visui sincera, & perlucida, nec odorati aliquam præ se ferat qualitatem. vt I. Simpl. Medic. facult. c. 4. quæ omnia varijs in locis repetit. At Hippocrates 5. aphor. 26. aquæ optimæ cognoscendi signum nobis reliquit his verbis : Aquam, quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuissimam esse. Et ideo & optimam; quoniam talis, si credendum est Gal. in Com. nec turbida, nec cenosa, nec in gustu, nec in odoratu aliquam absurdam qualitatem præ se fert. Optimæ extant illæ, quæ

quæ ex sublimibus locis, & terreis collibus; hæ enim & dulces sunt, & albæ, (idest perlucidæ) quæ si ab Oriente scateant, præ omnibus optimæ. Sunt præterea aquæ pluuiæales tenuissimæ, & splendidissimæ, Sol enim quod tenuissimum est, & leuissimum sursum rapit, sed citissimæ putrescunt. Hæc Hip. lib. de Aere, Aq. & Loc. cap. 14. & 18. At quæ non admodum bonæ, meliores euadunt, si decoquantur, iubente Gal. 6. de Mor. vulg. Com. 4. c. 30. crassiores enim partes separantur à subtilioribus, & frigiditas excedens à calore, ut est excedens, remittitur, ut docet nos Auic. cap. de Aqua. Sit eius quantitas in decoctionibus parandis, quæ à Scriptoribus præfigitur: At si in descriptionibus ab illis non sit aliqua determinata quantitas, desumatur aut à quantitate sacchari, vel mellis, aut à natura decoquibiliū; maiorem enim quantitatem requirunt quæcūque dura sunt, ut radices, ligna, frumētacea, & fructus, quàm semina; & hæc maiorem, quàm folia, & flores: & inter hæc quædam maiorem, & quædam minorem desiderant. Aliqui tantum aquam, aut liquorem desumere instituunt, quanta omnia illa submergere, & operire potest, ita ut abundè superferatur: Nonnulli pro singula libra feminum, aut radicum quattuor libras aquæ imponunt, pro quattuor manipulis herbarum exsiccatarū libras duas aque, sed viridum vnam tantum. Attamen hoc non seruatur à Mes. Interdum enim pauca in multa aqua ebullire iubet, & non rarò multa in pauca, ut in Decoctis videre licet, sic ut in Syrup. de Fumaria,

Aqua decoctione melior fit.

Aquæ quantitas in decoctis quæ.

110111

ria,

ria, quo loco decoquit vncias duas Myrobalanorū
 flauarum, & Violarum, & Rosarum, & Absinthij
 ana vnciam vnā, quę omnia pendent vncias quin-
 que, in decem libris aquę: Et in Syr. de Glycyrrhi-
 za vncias duas Glycyrrhizę, Capil. Vener. vnciam
 vnā, & Hyssopi sicci vnciam dimidiam, in quat-
 tuor libris aquę. Et vbi de Oximelle de Radicibus
 vncias tantum septem radicum, & seminum deco-
 quere imperat in decē libris aceti, & viginti aquę:
 At in Decocto Capil. Veneris, quod recipit saltem
 decem vncias simplicium, & multum occupantiū
 locum, tres aquę libras instituit. Sic in decocto My-
 robalanorum, & in Decocto Epithymi ponit libras
 tres feri, & ceterorum septem circiter vncias. Hęc
 omnia denotant omnino incertam esse aquę quan-
 titatem, etiam si inter hęc omnia quibus dicta con-
 ficiuntur Decocta, quò ad substantię densitatem,
 & crassitiem, vel tenuitatem, & raritatem paruum
 sit discrimen: semper attamen illis, quibus Syrupi
 parantur, est memoria custodiendum tantam eo-
 rum superesse quantitatem, quanta requiritur pro
 qualibet lib. sacchari; notum est autē omnibus fe-
 rè semper maiorem esse quantitatem succi, aut de-
 cocti, quàm sacchari. Sit aqua, vel liquor, quo sim-
 plicia decoquuntur, feruens, vt Serap. lib. de Antid.
 & Actuar. lib. de Comp. Med.

Terminus Decoctionis, aut ebullitionis ita va-
 rius apud seniores Medicos adinuenitur, vt perquā
 arduum sit verum & exquisitum præscribere; nā
 Damocrates radices Filicis, & aromata ad exhal-
 tionem

tionē dimidij decoquebat, referente Gal. 7. per loc. c. 2. Quam sententiam sequuti sunt multi, vt Haly lib. 10. cap. 23. & Paul. qui non rarò ad medietatē. sic & Aet. Ser. tertio, & Actuar. lib. de comp. Med. & rarò ad tertias. At Galenus & propria voluntate impulsus, & aliorum, ad consumptionem interdū tertiæ partis imperat decoquendum esse, sicut legitur lib. 9. per locos c. 1. vbi de medicamento ad Hydropem ex Archigene, & cap. 4. ex Asclepiade. Et 2. per genera. c. 17. In acerum iniecta ad tertiam coquimus. Sic in Emplastro ex Salicibus lib. 5. ita: *Radices in sex Sextarijs aceti coquantur, donec relictæ sint duo.* At lib. 8. secundum locos cap. 2. vtitur his verbis: *Vini cyathos tres coquito ad tertias, vt vnus cyathus supersit, & totum præbeto.* Et hanc decoctionem vocat ad tertias, in qua ex tribus partibus duæ absumuntur, quod pluribus alijs in locis confirmat. Et hoc genere decoquendi ferè semper ebullire simplicia decreuit ille, quod etiam instituit Rhasis in suo Antid. & Paul. lib. 7. sæpe, atque sæpe, sicut etiam Mes. vt in Decoctis apertissimè videre licet, qui tamen & interdum ad dimidium. Ad exhalationem igitur duarum partium liquores, & aquam ebullire vt plurimum statuunt; etiam si multi quoque ad dimidiū, & quandoque, sicut omnes Seniores, ad illum terminum, quo simplicium natura sit liquori distributa; quæ fortè respiciens Gal. 7. per loc. vbi de Confect. capitum Papaueris hæc pronūciauit: *Terminus cocturæ sit, non vt tertia, aut quarta, aut aliqua talis pars aquæ fuerit consumpta: sed cum flaccida*
H *fuerint*

fuerint capita Papaueris. Et Rhasis ille experimentator lib. iam supradicto c. i. statuit terminum esse, cum simplicia manent sapore priuata; à quorum placitis fit manifestum legentibus, terminum firmum decoctionis, quò ad aquæ consumptionem, esse admodum incertum. Et hoc ratione; diuersa enim & varia sunt insignita natura decoquibilia. Statuerem igitur, dummodo contrarium Scriptores in suis compositionibus non affirmant, ligna, radices, fructus, & quæcumque substantia dura, ac densa sunt donata, ebullienda esse ad exhalationem duarum partium: sic semina quædam, & frumentacea. Nonnulla tamen semina odorata, & tenui substantia ad dimidium: sicuti etiam & folia, dummodo non sint recentia. Flores verò, maximè si admodum tenelli, & exiles, ad consumptionem circiter tertiæ, & interdum quartæ partis tantum. Sed melius erit, iubete Gal. illos macerare. At in Decoctis, quæ varia in se recipiunt, desumatur terminus totius cocturæ à densiori, atque duriori; vt à radicibus, & fructibus, cum molles fiunt; à seminibus cum disrumpuntur; à folijs, & floribus, & quibusdam seminibus, cum satis macerata.

Dum fit ebullitio, aut decoctio, spumam perpetuò auferendam esse, & postea exprimenda decocta, & colo traijcienda imperarunt Mes. maximè cap. de Pilulis Alephanginis, & Haly, c. 23. Et vigorosè, vt Serapioni placet in Antid. Colentur fiscis, aut sacculis, teste Actuuario lib. de Comp. Med. vt à recrementis expurgentur. At cum varia Decoctorum

rum

rum sint genera, consonum est rationi, varia etiam adinuenire instrumenta, siue cola, quibus illa transfundantur: quoniam non rarò, præcipuè cum præceditebullitionem maceratio, manet in ipsa aqua, aut liquore aliqua portio, etsi tenuis, illorum simplicium, quod dedita opera à Medicis illis actum fuit. Quapropter colo raro, iubente Mes. cap. de Melicrato, expurganda erunt, & eo magis, si pulpam Cassiæ, aut Tamarindos, aut fructus recipiant. At illa, quæ crassioribus excrementis abundant, sacculis densis, & multis expurganda erunt. Vtebatur Athenæus, referente Oribasio lib. 5. ad aquam cœnosam depurandam triplici genere coli: *Primò, videlicet simplicibus, interdum duplicibus, & interdum triplicibus.* Quæ omnia fortè didicit ab ipso Albucasi, cuius verba: *Oportet quod habeas tria colatoria ad colanda Decocta, & Potiones. Primum sit minus, quàm secundum, & pannus sit rarior. Secundum sit maius primo, & pannus spissior. Tertium verò sit maius secundo, & pannus adhuc spissior.*

Decoquuntur procul omni dubio omnia, quæ coquuntur, calore, qui aut ab igne suscitatur, aut à Solis producit micantibus radijs. Qui tamen calor gradu quodam hoc opus efficit; nam si modum excedat interdum non coquit, sed violentia quadam ferè consumit simplicium vires, & interdum in aliam naturam transmutat: At si admodum imbecillis, & languens erit ebullitione excitare non potest, vel vires medicamentorum ægrè foras educit. & ideo iussit Haly lib. 10. coquenda esse simplicia

Coli diuersitas.

Mesue incan.

Ignis cōdit.

mediocri, & moderato calore; quod confirmavit & Serap. lib. de Antid. vnde Mes. ferè semper hæc pronunciat verba: *Lento coquantur igne, aut exigua flamma, aut cum facilitate.* quæ per optimè cognouit Gal. lib. 7. de Comp. Med. per loc. c. 2. dum ante oculos ponit quasdam conditiones ignis, quo Decocta parantur, sic: *Coquitur ad mollem, & non fumantem ignem: ego ad prunas adhuc neque ardentes cocturam facio; & ideo fugiendus fumus, in quantum possibile, circa pharmacorum præparationem.* Quæ etiam narrantur à Mesue, potissimum capite de Syr. acetato, ita: *Sit ignis, quo coquitur, prunarum, aut tenuis flamma sine fumo.* Et præcipuè hoc genere ignis decoquenda, quæ tenuium sunt partium, etsi, teste Galeno, illa omnia exequenda veniant ad quæcumque Pharmaca conficienda: Et ideo multi Priscorum ad euitanda illa, quæ interdum ab igne æstuanti, atque ardenti euenire solent, duplici vase etiam vnguenta parabant, vt paulò inferiùs narrabimus.

Vasa quæ.

Vasa, quibus feruescant, ac ebulliant simplicia medicamenta, necnon etiam Succī, Serapia, Electaria, & cetera Pharmacorum genera, sint omnino, quoad fieri potest, cuiuscumque malę qualitatis expertia; talia à me censentur, quæ fictilia vocantur; quoniam ab his nulla communicatur qualitas decoquendis medicamentis: maximè si illa fuerint aut acida, aut acria, aut salsa, aut vinosa, aut in se cōtineant aliquam detergendi facultatem; ab his enim aliqua vasis portiuncula abraditur, quæ vnà cum praua eius qualitate toti Decocto distribuitur.

buitur. Ad quæ fugienda decoquebat Mesue, vt varijs in locis patet, vase vitreato, aut lapideo: quod à Medicis vetustioribus obseruatum fuit, qui Emplastra quoque in olla decoquebant, ne à vasis aliqua mala qualitate contaminarentur, sicuti scribitur 6. per genera. c. 11. Vnde vt hoc euitarent, varijs in vasis medicamenta seruabant, exceptis æreis, vt infra patefaciam. At Arabes si vase vitreato coque-re non possunt, saltem vase stanno obducto hoc agunt: Vnde Haly 10. Pract. c. 19. sic: *Olea aut fictili, aut vitreato, aut stannato decoquantur.* & Mesue Vnguentum de Archanita vase vitreo; & Vnguentum palmeum in vase stannato decoquit. Sed Seplasia-rij nostri ferè omnes, nescio, an ignorantia, vel ne-gligentiâ, vel pertinacia, vel ignauia, vel avaritia im-pulsi, ebulliunt indiscriminatim quoscumque li- quores in vasis æreis, quæ vasa ego istis oculis sepe vidi à succis, & à decoctis deterla, ac nitida facta fuisse, quæ antea satis immunda, & spurca conspi- ciebantur. Aliud genus decoquendi aliqua adinue- nit Galen. vt fructus, quod fit euaporatione tali mo- do: suspenditur filo fructus aliquo in vase aqua fer- uenti, & ebulliente semipleno, ita ne aquam tan- gant; sed vapores illi calidi, atque humidi ipsos petant, à quibus tandem tenelli, cocti, & tumidi fiunt, & euadunt.

Sed quoniam multi exstant Myropolæ, & pueri illis deseruientes, qui omnino ignorant qualia sint Simplicia illa, quæ aut longam, aut mediocrē, aut paucam sustinent ebullitionē, non grauabor non-

nulla

Error mul-
torum.

Simplicia
longā, aut
breuem fe-
rēna coctio-
nem.

Error aliorum.

nulla eorum in mediū afferre; etiam si multi decernant inter recentiores, omnia illa, quæ difficilè teruntur, difficilè etiam decoqui, & quæ facilè, paucis indigere ebullitionibus: quæ, si experientiæ est credendum, in multis, atque multis sunt falsa; quoniam multi flores difficillimè teri possunt, vt Chamemillæ, Schœnantos, Origani, Hyperici, Violarum, Matricariæ, Stœchade, & aliorum, qui omnes debilem, & paucam ferunt coctionem. Præterea quorū aromata difficilè comminuuntur, vt Casia lignea, Cariophylli, lignum Aloes, & alia, quæ breuem sustinent cocturam? Et ideo horum sententia rejicienda venit, si de omnibus supponunt veram esse, vt vnanimis affirmant. Dicamus igitur ad mentem Mes. & aliorum Scriptorum, hæc longa indigere ebullitione, vel ipsam posse ferre, si occasio postulabit, Centaurium, Colocynthis, Polypodium, Serpentaria, Arthanita, Aristolochia, omnes Radices, & quæcumque substantia sunt densa, & crassa. Hæc Mes. Talia sunt omnia frumentacea, stiptica, & resinæ, vt Gal. 2. per genera. c. 3. Mediocrē ferunt cocturam Thymus, Rhabarbarum optimum, Turpethum, Scammonium, Hyssopum, Agaricus, Helleborus, Sena; sic Genistę flos, & Iris, vt Mes. proprijs cap. Adhęc Semina, Aromata, & Folia. Paucam, & debilem quattuor semina frigida maiora, Adiantum album, Epithymum, Violæ, & Flores prope omnes; sic & quæ in subiecto rarò existunt: præterea vt proprio cap. Tamarindi, Myrobalani, quæ potiùs infundendæ, Stœchados flores,

Plenam coctionem sustinentia.

Mediocrē.

Paucam.

Mes. prop. in locis.

res, Asarum ; Et quæcumque lubricando aluum subducunt, aut humiditate multa . inter quæ arbitror ego collocari Cassiam ; at non Mannā, vt non pauci recentiorum Medicorū, & Sepalsiariorum sibi persuadent : nam Mes. cap. proprio, hæc litteris tradidit memoratu digna : *Quoniam verò imbecilliter euacuat, præsertim cruda ; cocta enim citius agit, & ideo Electuarium quoddam confecit ex Manna, quam ebullire imperat cum libra vna succi Rosarū ad conuenientem consistentiā ; quod procul omni dubio diuturnam requirit cocturam, quam non sustinent Thus, Myrrha, & Aloe, vt Gal. 2. per genera. c. 3. Sed quænam Metallorum ferant aut longā, aut mediocrem, aut debilem, aut nullam coctionem, vbi de Vnguentis, patefaciam . Quæ autem vocentur Aromata, sequenti Capite narrabo .*

Error aliquorum circa Mannā .
In Cano.

Manna longā sustinet coctionem.

De Coctura in duplici vase . Cap. XIX.

DE COCTIO illa, quæ duplici celebratur vase, nō solum à Galeno mirum in modum probatur, sed etiam ab alijs grauissimis Medicis, qui ante ipsum, & suo tempore medicinam faciebant ; quoniam nullum imminet periculū, ne medicamenta ab æstuant, ac flagranti igne adurantur : immò potius humiditatem propriam humido illo calore conseruant. In vsu fuisse hoc cocturæ genus apud diligentes Medicos narratur lib. 4. de sanit. tuenda, cap. 8. sic: *Qui verò magis his sunt curiosi, in duplici vase coquunt, hoc fit,*

cum